

DISPUTATIONUM POLITICARUM
PRIMA
DE
CONSTITUTIONE
POLITICÆ,
PRÆSIDE
M. MICHAELE VVENDELERO P. P.

publicè proposita
ab

OSWALDO HECHTIO, Magdeburgo-Saxone,
die 31. Julii in Auditorio minori.

WITTEBERGÆ
Ex Officinâ Typogr. MICHAELIS Wende Anno 1641.

a. CXXI. 31.

ll. diss. A
1, 31

GENEROSIS ET ILLUSTRIBUS
COMITIBUS AC DOMINIS,

Dn. Albrecht Friedrichen/

&

Dn. Jobst Günthern/Fra-
tribus Germanis, Comitibus ac Dominis
zu Barby & Mühlungen &c. Dominis
suis Clementissimis,

Hoc Exercitium Politicum
câ, quâ debet, animi devo-
tione in sui commendatio-
nem,

dicat & offert:

OSWALDUS Necht. Magdeburg.



In vestibulo Politices proœmii loco nobis ordinandæ sunt partes universæ Politicæ, ne sparsim mox hoc, mox illud, nihil suo loco tradamus. Illud autē à quovis obtinebim9, Politicam reponi in classeistarum disciplinarum, quas Philosophus Practicas vocat. Praxis propriè accipitur pro ista operatione, quæ ad honestatem destinatur ita, ut praxis & honestas æquè latè pateant.

II. Cùm autem Politicæ operatio à ratione dirigatur ad honestatem, seu ad hoc, ut sit recta, inficiari nemo potest, eam inter practicas disciplinas reponi debere. Id, quod in hunc ostendo finem, ut ordinem inveniam, quo Politica doctrina tradi debet.

III. Certum est, in doctrinâ Aristotelis non posse disciplinas Practicas aliter, quàm ordine resolutivo tradi, quippe cùm in Ethicis, Politicis, ut jam ostendimus, adeoque in Logicâ (hæc licet ars non sit, arti tamen confinis est) non alium observaverit. Extat. 7. *Metaph.* apertus locus, ubi vult in artibus finem præcognoscendum esse, adeoque resolutivam Methodum observandam.

IV. Præsupponendum autem hîc est, ordinem à nostrâ cognitione desumendum esse, hoc est, ita instituendum, pro ut nos faciliùs discimus. Hoc alibi Zabarella contra Piccolomineum demonstravit. Ordo enim instrumentum discendi est. Instrumenta verò discendi ad id excogitata sunt, ut faciliorem reddant disciplinam. Hinc manifestum fiet, non posse practicam disciplinam, nisi resolutivè tradi. Nam practicæ disciplinæ scopus est, media docere, quorum operâ finem producas. Ergò in Politicis quoque initium faciendum

est à fine. Quamdiu enim ignoratur hic terminus, tamdiu nequit inquiri via, quæ ducat ad illum.

V. Duplex autem, ut in Logica & plerisque artibus, in nostrâ Politicâ finis est: Externus & Internus. Externum intelligit Aristoteles, ubi bene & beate vivere Reip. summum bonum vocat, illiq; internum finem subjicit, quando Remp. & civitatem propter bene vivere institutam docet. Sicut autem veritatem præsupponit Logicus tacitè: ita Politicus hunc externum finem. Hic enim in Ethicâ explicatus est. Non enim ibi homo privatus instituitur tantùm, quia generalis finis generalesque virtutes proponuntur, quæ & privato & in publicâ dignitate viventi necessariae sunt.

VI. Universalis autem finis is est, qui omnem Felicitatem complectitur, non solùm Moralem, sed & Intellectualem. Nam nisi Ethicus doceat, quomodo habitus mentis beatum faciat hominem, nulla disciplina id docet. Idem ex ordine Ethicæ colligere possumus. Nam post summum Bonum, confusiùs declaratum, progressurus ad virtutes statim dividit eas in Morales & Dianoeticas, non ut has amoveat, sed, ut Morales explicârat, ita Intellectuales pertractet. Undè deniq; colligit Summum Bonum ex duplici serie virtutum.

VII. Internus qui primo loco, ad generalem Ethicam externo rejecto, explicandus venit, est ipsa Respublica, per quam rectè institutam multitudo beatè vivit. Nam in Rep. continentur omnia bona, quæ, qui in multitudine vivit, expectare queat; & sine eâ vivere nemo potest, nisi extremè malus, aut Deus, qui nullâ re indigeat. Aristoteles igitur fecit initium à Republicâ, quia rationem finis & locum principii obtinet.

Respub.

VIII. Respublica verò in genere primùm consideratur, & mox dividitur in tres species, quia cunctas nationes & urbes aut populus aut primores aut singuli regunt. Non enim virtutes & vitia Rerump. species constituunt. Tyrannis vitium quidem regni est, sed speciem diversam ab eo non constituit magis, quàm homo improbus diversus specie est à probo. Simples igitur tres species sunt; Monarchia, cujus diversitates exequitur *Aristot. 3. Polit.* usque ad finem, exceptâ Tyrannide, quàm reservat ad finem cæterarum Rerump., imperium paucorum & Democratia, quæ regno statim subjiciuntur, & *Lib. IV.* undecim cap. prioribus explicantur.

IX. Ex harum Rerump. mixtione oritur quarta quædam composita, de quâ controversum est, an inveniri queat, cum non contemnendi Politici eam impossibilem, aut certè seditionum plenam futuram contendant.

X. Porro prout Methodus Analytica præcipit, docendum est, ex quibus essentia Reip. constituatur: nimirum ex Imperantibus & Obedientibus. Caput Reip. vocamus Majestatem, & qui huic subjiciuntur, Subditos. De Majestate Aristoteles pauca attigit. Subditi sunt in triplici differentiâ, aut Peregrini, aut Incolæ, aut veri Subditi. Peregrini olim vocabantur hostes. Cum enim sæpius à peregrinis hospitibus malum creatur, cœpit peregrini nomen fieri odiosum. Unde non immeritò disputatur, utrum peregrini prorsus repelli debeant, & postquam, ut recipiantur, statutum est, quid juris in Rep. alienâ possidere debeant. De Incolis eadem est disputatio.

XI. De veris Subditis diligenter considerandum est, cum in his requiescat Respublica. De his *Arist. 4.*

Polit. cap. 12. nonnihil egit. Non tantum hinc, quales esse subditi, quibus rebus studere debeant, & quanam sunt hujus generis sanè multa, edocendum est, sed & quòd ordines illorum sint, & quantum inter se discrepent. Antiquo more Gallorum omnes Subditi erant divisi in Sacerdotes & Equites. Cæterum Pontificii à potestate Majestatis eximunt Clericos, & in primis de Pontifice ipso enunciant, quòd sit super omnes. Propterea de jurisdictione Ecclesiasticorum & eorum ordinibus disputandum est, utrum quoad Politica subjiciantur Majestati, & quantum de jurisdictione sibi indultum habeant. Secularium iterum alii sunt nobiles, ut Duces, Marchiones, Comites &c. alii plebeji, ut mercatores, opifices, agricolæ &c: de quibus diligenter Philosophi vetustiores præcipiunt.

XII. Quia verò magnus est subditorum numerus, Politici inierunt rationem, quò in certas classes cives digererent. Dividebant igitur Athenienses & eos imitati Romani cives in tribus, classes, centurias, decurias: item in Collegia, Corpora & Universitates. Duplex est Collegiorum in Politicis consideratio, altera hoc loco, ubi considerantur, ut certæ classes civium, altera in capite de institutione, ubi considerantur, pro ut conducunt juventutis institutioni.

XIII. Proximum est, cum summa officii regii sit, regere, ut explicentur instrumenta, per quæ summa potestas gubernat Subditos. Gubernatur autem Resp. per Majestatis vicarios & per leges, quæ sunt ad id latæ, ut & improbi à peccatis arceantur formidine poenæ, & cæteris de voluntate Principis constet.

XIV. Vicariis indiget Majestas, tum quia non sufficit per seipsam ad omnium officiorum administra-
tio-

tionem, tum quia à nonnullis retrahitur propter autoritatem, quæ non sinit principem cuius negotio immisceri. In Aristocratia verò & Democratiâ tantò magis opus est vicariis, quòd plures & omnes cives non possint simul munia Reip. subire, si res quædam ardua sit expedienda, si legatio obeunda, si ducendum bellum. Sunt qui bellum per legatos confici velint.

XV. Officia igitur Reip. Philosophus alia facit ordinaria, quibus Resp. ut salva sit, carere non potest, alia extra ordinem instituuntur, prout incidunt res expediendæ. Illa lege definiuntur; horum munus lege non est definitum. Talis olim erat Dictator, qui propter metum belli creatus fuit. Ad hunc ordinem Aristoteles refert Legatos, de quorum officio & sanctitate multa disputari solent.

XVI. Quibus munus suum lege præscriptum est, nec ii sunt unius generis. Liceat nobis cum Lipsio adjuutores Reip. dividere in eos, qui Consilio & qui Auxilio profunt. Illos Senatûs nomine appellare solemus, hos Magistratûs. Magistro enim idem, quod impero. Hinc Magistratus, quem Majestas imperavit. Ab omnibus enim Magistratibus ad Majestatem datur provocatio.

XVII. Senatû carere nulla Resp. potest. Nam si omnes Politici rectè præsupponunt, armis ad defensionem Reip. opus esse, quantò magis opus erit consilio, cum Euripides rectè dixerit: *Unicum rectum consilium magnam militum manum vincit.*

XVIII. Magistratum ordo adhuc latiùs patet, quem Jurisperitorum controversiæ intricatiorem nobis fecerunt. Eas circa Magistratus in genere, quantum rei præsentis conducit, expediemus. Hinc ad divisiones pro-

cedemus. Instituto nostro utile est, ex officio distingui Magistratus. Inprimis in Democratiâ opus est generali quodam Magistratû, cujus suprema lex sit salus Reip. Evenit, ut talibus quoque in Monarchiâ opus esset Magistratibus: Qualis erat præfectus Prætorii, & apud Francos Major Domus. His ita indulgendum est, ne aliquando Majestatem in se transferant.

XIX. Alter Magistratum ordo versatur circa reditus publicos & ædificationes urbium, palatiorum, templorum &c. Errant, qui putant, citra ærarium Remp. consistere posse, inprimis ingruente bello. Ergò huc quæ ad ærarium conficiendum, ad ædilium officium, & his annexa referuntur, pertinent: quæ *Aristot. lib. 6. & 7.* satis eleganter pertractat.

XX. Denique ad exercendam justitiam novo opus est Magistratû. Duæ verò sunt justitiæ partes, distributiva & commutativa, quarum altera honores, altera pœnas distribuit & commercia curat, hæc Proportionem Arithmeticâ, illa Geometricâ. Utrique parti oportet custodes præponi diligentes.

XXI. Qui præpositi sunt contractibus corrigendis & suppliciis irrogandis, iudices vocantur aut prætores. Præter hos opus est Censoribus, qui moribus præfecti sint, & ea corrigant, quæ ruborẽ tantùm aut levem ignominiam merentur. Censuram officium etiam pertinet ad distinguendos cives pro differentiâ ætatum, dignitatum, conditionum & patrimoniorum. Duplex ergò est officium, de quorum utroque seorsim agendum est.

XXII. Posthac de legibus consideratio subnectitur. Sunt quidem in genere leges necessariae, ut, quos virtutis amor à vitiis non abigit, eos severitas disciplinæ cogat:

cogat: verum hinc de legibus considerandum, quod per eas, tanquam instrumenta, gubernet Majestas Subditos. Nam lex est, quæ cogit, lex est, quæ punit, seu potius ipsa Majestas, quæ legem armavit. Facti quidem quæstio in arbitrio est judicantis, poena verò executio non ejus voluntati mandatur, sed legis auctoritati reservatur.

XXIII. De Curatoribus res planior est, cum Legati Romanorum ad Tarentinos missi nec injuriam quidem sibi factam exoptulare voluerint, ne ultra mandatum quicquam agerent. Ergo in omni Officialium genere opus est legibus, tum verò ad hoc etiam, ut, licet, qui ultrò officium faciunt, non cogant, iis tamen voluntatem summæ potestatis aperiant. Alioquin ad ea, quæ scire non potes, non est obligatio.

XXIV. Leges verò frustra feruntur, nisi ita instituti sint animi, ut legibus obtemperare sciant. Quem mali mores corruerunt, illi frustra præcipis, sic vives cum patre, sic cum uxore. Nihil enim proficiunt præcepta, quàm diu menti error obfusis est. Cum igitur Legibus præparet animos Subditorum Institutio, imò antevertat, meritò unà cum Legibus de Institutione præcipiendum fuit. Philosophus reservavit sibi hunc tractatum ad finem Politicæ, quod sit ultimum instrumentum, quod resolvendo invenitur.

XXV. Comprehendimus autem Institutionis nomine hominis curam à primo conceptionis tempore, usque dum plenus sit Reip. civis. Educatio verò jam editi infantis aut publica est aut privata. Privatam remittit Politicus ad Oeconomicum. Publicam vero ordinat & præscribit Politicus, quò cives ita instituantur potissimum, prout Reip. conducit. Nam aliter

B

ait

ait Aristoteles in Aristocratiâ, aliter in Democratiâ, aliter in Monarchiâ convenit cives assuefieri. Hinc certa institui oportet Collegia istarum artium, quas Resp. maximè florere cupit, non tantùm Illiberalium, sed & Liberalium, quas Scholas vocant ab otio, tam particulares, quàm universales seu Academias. Omne, quod de harum jure & studiis Politico disputandum est, huc pertinet.

XXVI. Denique hujus loci est Consuetudo, quæ perinde, ut institutio, animos hominum occupat, cum sit tacita institutio. Imò vim quoque legis habet, si satis longo tempore fuerit observata.

XXVII. Hactenus, quæ ad constituendam Remp. faciunt, proposuimus: restat *Liber V. Polit.* in quo de corruptione Rerump. Philosophus agit. In hæc parte iterum cum observet ordinem Analyticum, primo loco explicat corruptiones Rerump. distinguitq; naturaliter senescentes à violenter pessum euntibus. Per morbum verò interit Resp. quando vitium contrahit ante diem, & per illud vel adulteratur, vel profus interit, vel deniq; transmutatur in novum statum. Hæc propriè vocatur *Conversio*, quòd Resp. una mutetur in aliam.

XXVIII. Sed quia Politicus sine causæ cognitione morbos Rerump. curare non potest, Philosophus jure subjicit causas *Everſionum*. Hæ vel sunt remotæ vel propinquæ. Remotas intelligimus fatum, astrorum inclinationem, numeros Platonitos. Has rectè Aristoteles præterit, quòd non remotarum, sed proximarum ratio Politico sit habenda. Nec propterea voluntatem aut decretum Dei contemnit, sed ubique præsupponit, quòd sine ejus concursu nihil fieri posse crediderit.

Proxi-

XXIX. Proximarum causarum alia prorsus per accidens, alia per se possunt statum Reip. evertere. Has duplices facit, Externas, ex quibus bellum, Internas, ex quibus oritur seditio. Has pertractat primum in genere. Mox peculiare corruptionum causas in specie considerat. Tertium est remedium inventio, quibus vitia cadentium Rerump. curare possumus, aut etiam praeavere. Tradit autem primum praecepta generalia; deinde in specie subjicit remedia, quae omnibus profunt vitiis, & quomodo causae vel sint praecoccupandae, vel si altius radices egerint, excindendae, ostendit.

XXX. Haec tenus Curatio internarum seditio- num. Sequitur corruptio à vi externâ, quae proprie bellum est. Hujus sunt duo capita: alterum de jure belli: alterum de commodiori bellum ducendi modo. Jus belli continet jus feziale Romanorum de denunciando bello, de feriendo foedere, pactione aut sponsione. De modo verò ducendi bellum ea proponemus, quae ex historicis observata sunt, quaeque alii, qui ipsi bellis interfuerunt, annotaverunt.

XXXI. Ex his omnibus satis constat, non alium, quàm Analyticum ordinem observasse Aristotelem in Politicis. Sed quia Subjectum primo loco adumbrari oportuit, cui inducitur Resp. per media, antequam Remp. aggredere, sumit Philosophus civitatem *ὡς ἐν τῷ πρώτῳ* sibi explicandam. Nam non tantum in scientiis, sed & in Practicis disciplinis Subjectum praecognoscendum est, quòd ignorato subjecto necesse sit & caetera ignorati, quae ex Subjecto dependent, quaeque intereunte subjecto interire necesse est. Si enim aurifaber nesciat, aurum capax esse istarum operationum, quas

quas ipsi meditatatur introducere, nunquam de ipsis operationibus consilium inire potest.

XXXII. Cùm verò Civitas, tanquam totum aggregatum ex pluribus famillis, cognosci sine iis non possit, Aristoteles præmisit familias, de iis disputans tum in genere, tum in specie singulas societates earum percurrens, quæ sunt: Viri & Uxoris: Domini & Servi: Parentum & Liberorum.

XXXIII. Magnum autem est discrimen inter doctrinam Politicam & Oeconomicam, de familiis. Non enim habenda est Oeconomica pro parte aut appendice Politicæ, cùm alium finem habeat, & alia omninò præcepta tradat. Politicus enim familias tantummodo considerat, quatenus sunt partes civitatis; quæ verò in Oeconomicis de familiis traduntur, privatim illis competunt.

XXXIV. Atque hæc est integra totius Politicæ delineatio, prout ab Aristotele artificiosè octo libris est comprehensa. Solus restat liber secundus, qui interjectitius est, & continet tantum refutationes.

ADJECTANEA.

1. *Philosophia est totum integrale.*
2. *Dividitur in Practicam & Theoreticam.*
3. *Theoretica partes sunt Metaphysica, Physica & Mathematica.*
4. *Pneumatologiam enim quidam constituunt à Metaphysicâ distinctam; quidam verò hujus faciunt appendicem.*
5. *Num habitus Intelligentiæ detur, doctissimi etiamnum dubitant.*
6. *Practica dividitur in partem generalem, scil. Ethicam, & Specialem, hoc est Politicam & Oeconomicam.*

Coll. diss. A. 131 misc. 31